ÆTATIS SVÆ. LXII.
Mercator, tractusque nouos, terrasque, mariaque
Motus fraus, et magnum quod continet omnia rotum
Quæque ferè sensus debeat grata chartis: Magna tibi priscum tandem superasse laborem,
Vltima Thule. Barbe.
Polus magnus
GERARDI MERCATORIS RVPELMVNDANI EFFIGIEM ANNORVM ET SEX — AGINTA, SVI ERGA IPSVM STVDII CAVSA DEPINGI CVRABAT FRANC. HOG. CIↃ. IↃ. LXXIV.

In Effigiem carmen.

Gerardus Mercator erat sic cognitus orbi,
Duysburgi raperet cum fera parca virũ.
Ottonos decies, binosq; exegerat annos,
Et menses octo, tresq; nouemq; dies.
Doctus erat verè, pius, integer, omnibus æquus,
Ingenio dexter, dexter & ipse manu.
Sidera cum terris coniunxit, sacra prophanis
Addidit, at rectè fecit vtrumq; tamen.
Astra Mathematicus radio descripsit acuto,
Et dedit in paruo consicienda globo.
In tabulas terra spaciosum contulit orbem,
Inq; globo mundi regna videnda dedit.
Et ne quid cæli studijs, terræq; deesset,
Historiam docuit tempora certa loqui.
Sacraq; detexit vatum mysteria, Christi
Præcones iussit quattuor ire simul.
Atq; ea sic fecit superos vt vinceret omnes
Artifices, proprio marte, manuq; sua.
Fœlix prole sua, natisq; nepotibus ex se,
Spem grata certam posteritatis habet.
At quod Christe tuum sectatus ouile, beatus
Perpetuo tecum pascua læta capit.
Et quamuis placuisse Duci non infima laus sit,
Attamen est maior laus placuisse Deo.

Benevolentiæ ergo Bernardus Furmerius Leouardiensis
Licentiatus Iuris, mœstus scribebat.

EPITAPHIVM GERARDI MERCATORIS TEVTOBVRGI CLIVENSIVM OPIDO SEPVLTI.

DEO OPT. MAX. SACRVM.

GERARDO MERCATORI FLANDRO RVPELMVNDANO IVLIACENSIVM PROVINCIA ORIVNDO DOMESTICO CAROLI QVINCTI ROM. IMP.
ET GVILIELMI P. AC. IOANNISGVILIELMI F. IVLIACENSIVM CLIVENSIVM &c. DVCVM.
COSMOGRAPHO.
MATHEMATICORVM SVI TEMPORIS FACILE PRINCIPI QVI GLOBIS ARTIFICIOSIS RADIO DIMENSIS CÆLVM AC TERRAM INTERIVS ET EXTERIVS QVA LICVIT DEMONSTRAVIT A VARIA DOCTRINA LAVDATO.

VIRTVTE QVOD CAPVT EST ET INTEGRITATE VITÆ ET OMNI MORVM COMITATE CLARO HEREDES PATRI BENEMERENTI DOLENTES ET ERVDITORVM STVDIOSA COHORS AMICO POSVERVNT.

EDITVS IN LVCEM FVIT III NONAS MARTII H VI A M ∞ D XII.

EXCESSIT E VIVIS IV NONAS DECEMB. H XI A M ∞ D XCIV.

QVIS FVERIM QVERIS TERRAM CÆLO AVSPICE TOTAM
DISPEXI SVPERIS INFERA CONCILIANS
PER ME COLLVCENT IN CHARTIS SIDERA CÆLI
INDIA ET ANTIPODES VELIVOLVMQ MARE
TOTIVS ET MVNDI DIGESSI TEMPORA FASTIS
ORBIS VT IMMENSI CLAREAT HISTORIA
CETERA QVÆ CVDI SI POSTVMA LEGERIT ÆTAS
PRODESSE ILLA SIBI ME VOLVISSE SCIET
IAM CORAM VT VIDEAM CÆLO TERRAQ TONANTEM
LVCIDA CONSCENDI SIDERA TERRA VALE
O TE FELLICEM CHRISTO QVI VIXERIS VNI
VT CVM QVO VIXTI VIVERE CVM HOC LICEAT

OS HOMINI SVBLIME DEDIT.

Io. Metellus I. C